

### 1343-1343- OFP - Acta Capitulum Generalium Parisius Celebrati

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

Hec sunt acta capituli generalis Parisius in festo penthecostes celebrati  
anno Domini · M° · CCC° · XLIII° ·

#### **Iste sunt inchoaciones.**

Inchoamus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: tres de ipsis electoribus aliis ab electo etc., deleatur totum usque ad locum illum, ubi dicitur: provincialis autem prior etc., et dicatur sic: quod si ordo magistrum non habuerit, ipsum electum confirmandi vel infirmandi et ad suscepcionem dicti officii compellendi vicarius ordinis habeat potestatem. Et infra, ubi dicitur: in hoc casu tantum, deleatur et dicatur: consimiliter.

Item. Inchoamus hanc: In capitulo de recipiendis, ubi dicitur: nullus recipiatur infra · xviii · annos, addatur statim sic: nec quicumque illegitime natus nisi de prioris provincialis licencia speciali. Si vero illegitime natus ad ordinem receptus fuerit, et dispensatum fuerit cum eodem, quod fieri possit prior, non propter hoc fiat diffinitor capituli generalis aut provincialis vel vicarius provincialis nec predicator generalis absque magistri ordinis vel capituli generalis licencia speciali.

Item. Inchoamus hanc: In capitulo de apostatis, ubi dicitur: non possint habere officium prioratus vel supprioratus vel lectoratus, addatur statim post et dicatur sic: nec possint fieri diffinitores capituli generalis vel provincialis nec predicatorum generales nec magistri ordinis electores.

#### **Iste sunt admoniciones et ordinaciones.**

Cum absque magno discrimine provincia quecumque non valeat sine capite remanere, volumus et ordinamus, quod singuli priores provinciales quacumque ex causa suas provincias exeuntes et vicarium dimittentes, taliter ordinent et disponant, quod unus frater alius ab ipso vicario vices eorum in omnibus obtineat; in casu tamen, in quo ipsum prefatum vicarium morte contigerit preveniri vel aliter legitime impediri.

Item. Volentes vitare notam et scandalum, que interdum apud graves personas non immerito oriuntur, ex eo quod fratres aliqui de arte chirurgie vel medicine se quantum ad practicam intromittunt, in quibus cum sint ut in pluribus in experti, precipit magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu, quod nullus frater de cetero de arte chirurgie vel medicine inter seculares practicando se aliquantulum intromittat, nisi a priore provinciali super hoc habuerit licenciam specialem. Quod si contra fecerit, postquam legitime convictus fuerit, per presidentem in conventu pena transgressori precepti debita puniatur.

Item. Cum ex eo quod magistri et bacalarei Parisienses expensas faciunt in suis principiis notabiliter excessivas, graventur ipsimet facientes et paupertas nostra non sine gravi scandalo deformetur, precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, quod supradicti magistri et bacalarei nullas pitancias faciant nisi unam forte pitanciam fratribus, exclusis secularibus, in die aule sue nec in diebus, in quibus suas incipiunt lectiones; et volumus, quod priores provinciales in suis provinciis consimiles excessus lectorum quorumcumque studeant impedire. Inhibentes insuper, ne studentes quicumque titulo cuiuscumque actus scolastici permittantur expensas facere qualescumque.

Item. Cum in monasteriis sororum nostrarum fratres ita religiosi et maturi debeant deputari, quod ex ipsis quecumque non valeat suboriri suspicio, volumus et ordinamus, quod frater quicumque, qui ab ordine alias apostataverit aut in carcere legitime positus fuerit, in dictis monasteriis sororum nullatenus recipiatur nec alias assignetur.

Item. Cum ex sufficiencia et honestate studencium, illorum precipue, qui ad studia generalia mittuntur, resplendeat ordo noster, districtione, qua possumus, inhibemus prioribus provincialibus et capitulis provincialibus, ne fratrem aliquem mittant extra suam provinciam pro studente, nisi sit bene morigeratus, maturus, securus et quietus et in literatura sufficiens et ydoneus. Et rogamus reverendum patrem magistrum ordinis, quod assignaciones huiusmodi studencium non concedat, nisi constet sibi testimonio priorum provincialium istorum, qui mittendi fuerint, de ipsorum sufficiencia in predictis.

Item. Mandamus et districtione, qua possumus, iniungimus prioribus provincialibus et capitulis provincialibus Grecie et Terre sancte ac vicariis eorumdem necnon et vicario generali societatis fratrum peregrinancium propter Christum, quod si quos fratres invenerint in suis provinciis, terminis aut regionibus inutiliter vagantes, qui de suis assignacionibus non possint facere plenam fidem, statim eos ad conventus venire compellant et eos ibidem arctatos teneant, quousque de eorum assignacione et de causis sui discursus per magistrum ordinis vel eius vicarium vel per provinciales suos possint fieri cerciores. Quod si arctacionem humiliter noluerint substinere ac prioribus conventuum, ad quos reducti fuerint, obedire, continuo carceri mancipentur. Fratres vero societati episcoporum in dictis regionibus deputati, pretextu cuiuscumque gracie, vel licencie concessae quibuscumque episcopis vel fratribus a quocumque superiore ordinis, nullo modo permittantur nec soli incedere nec abeuntibus episcopis soli remanere. Quod si qui contrarium fecisse fuerint deprehensi, per presidentem dictarum regionum ad conventus redire cogantur, ibidem secundum qualitates personarum et excessum debite puniendi, nulla eis gracia in opposito suffragante. Omnem enim gratiam seu licenciam cuiuscumque concessam, que premissis obviare posset, revocat magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu subiicientes eos correctioni omnium provincialium et priorum conventualium, in quorum terminis extiterint, simpliciter et ex toto.

Item. Gracias omnes et singulas seu licencias exemptorias sub quacumque forma verborum quibuscumque fratribus ordinis concessas sive per magistros ordinis sive per priores provinciales vel quoscumque alios revocamus, adiicientes, quod fratres quicumque cum quibuscumque prelati remanere non valeant absque magistri ordinis vel suorum priorum provincialium petita licencia et obtenta, non obstantibus quibuscumque litteris seu graciis quibuscumque prelati concessis hactenus per quoscumque.

Item. Ut ordo noster, qui a suis primordiis in eminentia sciencie singulariter floruit, in ipsa continue valeat augmentari, volumus et ordinamus, quod fratres in literis minime sufficientes conventibus pro studentibus vel cum titulo studencium nullatenus assignentur, ne impedimentum prestent aliis quibuscumque, nisi forsitan de talibus esset aliqua spes probabilis de profectu; sufficientes vero, qui ad studium apti et idonei fuerint, ut convenientius studio vacare valeant, in conventibus, quibus pro studio assignati fuerint, favorabiliter pertractentur.

Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu fratribus universis, ne frater, cuiuscumque condicionis aut status existat, ad Romanam curiam accedat vel de suo conventu iter assumat cum intentione ad Romanam curiam accedendi, nec in eadem curia stet sine eiusdem magistri ordinis licencia speciali; de qua per litteram magistri ordinis suo provinciali vel generali vicario sue provincie, antequam de sua provincia exeat, faciat plenam fidem et in curia procuratori ordinis eandem fidem facere teneatur. Qui vero contrarium fecerit, voce et omnibus graciis ordinis sit privatus et nichilominus sententiam excommunicationis ipso facto se noverit incurrisse; quam sententiam excommunicationis prefatus magister ordinis coram diffinitoribus protulit iuridice in diffinitorio de ipsorum diffinitorum consilio et assensu, absolucionem de dicta sententia sibi soli retinens et reservans. Concedit tamen magister ordinis prioribus provincialibus et vicariis generalibus eorumdem, quod pro negociis ordinis ad dictam curiam ire et mittere valeant duos fratres. Concedit etiam magister ordinis priori provinciali provincie Provincie vel eius vicario generali, quod licenciare possit fratres sue provincie ad curiam, secundum quod honori ordinis et eorum negociis viderint expedire.

Item. Mandamus et precipimus in virtute sancte obediencie prioribus provincialibus et eorum vicariis generalibus, quod mittant infra sequens capitulum generale fratri Rostagno de Anceduna procuratori ordinis in Romana curia pro qualibet provincia · iii · florenos pro anno presenti, et pro preteritis annis illi, qui non satisfecerunt, infra natale domini proximo futurum satisfacere teneantur.

Declaramus, quod quicumque prior provincialis seu diffinitor capituli generalis veniens ad capitulum generale in alia provincia auctoritatem non habet secum adducendi vel licenciandi fratrem ad capitulum generale, nisi illum, quem de sua provincia secum duxit, nisi forsitan socium suum morte contingeret preveniri seu in infirmitate aliqua detineri vel aliqua causa legitima impediri. In quo casu fratrem alium potest assumere et secum adducere ad capitulum generale.

Item. Declaramus, quod sicut in capitulo de electione prioris provincialis dicitur: quod si priorem provincialem in capitulo generali vel medio tempore usque ad capitulum provinciale vel in ipso provinciali capitulo mori vel amoveri contigerit, ad ipsum provinciale capitulum electio pertinebit, idem censemus esse faciendum, si electio prioris provincialis in capitulo generali vel usque ad provinciale capitulum inclusive infirmata fuerit vel cassata.

Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu omnibus fratribus, quod omni fraude sublata iocalia quecumque aurea vel argentea vel pecuniam non teneant apud quascumque personas extra obedienciam nostri ordinis constitutas.

Quod si aliqui de huiusmodi apud huiusmodi personas habeant, totum infra mensem a noticia presencium reportari faciant ad conventum; alias dictis rebus ipsos privamus tenore presencium et conventibus, ubi conventuales fuerint, applicamus et imponimus prioribus provincialibus, quod super hoc excommunicationis sententiam in suis capitulis provincialibus ferant, si eis videatur expedire.

Item. Ad tollendum omnia dubia questionum, que super bonis priorum, qui fuerunt, sunt aut erunt in monasterio sororum beati Ludovici de Pissiaci provincie Francie, de cetero verti possent, denunciamus, quod visis graciis et privilegiis serenissimo regi ac domino domino Philippo quondam dei gracia Francorum regi predicti monasterii Pissiaci fundatori, necnon et priorisse ac sororibus eiusdem monasterii per felicis recordacionis dominos dominos nostros summos pontifices Clementem · V · et Iohannem · XXII · um, in favorem predicti monasterii in bullis concessis, quarum tenorem vidimus sub publico instrumento, quod bona omnia et singula, que spectant ad priorem ipsius monasterii predicti vel fratres quoscumque alios dicto monasterio deputatos pro tempore vite sue, post decessus eorum pertinent ad conventum fratrum dicti monasterii simpliciter et ex toto iuxta prioris, qui erit pro tempore, prudenciam in usus necessarios et utiles pro dicto conventu fratrum de discretorum consilio dispensanda.

Significamus fratribus universis, quod magister ordinis committit omnibus provincialibus, quod possint mittere et assignare quilibet quatuor fratres bonos et religiosos, attamen voluntarios, provincie Terre sancte ac totidem societati fratrum peregrinancium propter Christum.

Item. Cum in provincia Romana in capitulo provinciali Perusii celebrato fratres Dominicus de Collazone, Petrus de Fructa et Andreas de sancto Antonio electum in provincialem a minori parte longe confirmaverint in provincialem et electum a maiori parte cassaverint indebite, et similiter provincia Aragonie frater Bernardus de Podio Circoso [et] frater Rodericus Lupi bis cassaverint electionem factam de fratre Petro Bernardo de Scala in conventu Hylardensi, cum tamen haberet tres partes omnium electorum; item cum predicti duo fratres et frater

Michael Martini confirmaverint electionem factam ibidem de fratre Garcia de Gongorra, qui tamen non habebat nisi quartam partem electorum, predictos sex fratres confirmatores et cassatores dictarum electionum citamus peremptorie, ut ipsi compareant personaliter ad sequens capitulum generale.

**Iste sunt absoluciones.**

Absolvimus hoc provinciales: Terre sancte et facimus eum ibidem vicarium generalem, donec provincialis fuerit presens in provincia supradicta.

Item. Dacie et facimus eum ibidem vicarium generalem, donec provincialis electus fuerit et confirmatus et presens extiterit in provincia Dacie memorata.

Absolvimus hos priores conventuales provincie Francie: Aurelianensem, Altissiodorensem, Viridunensem, Divionensem, Gracianopolitanum, Belveariensem, Gebennensem, Brugensem, Insulensem, Valencensem, Bergensem, Dinanensem, Ebroycensem, Argentomensem, Guingapensem, Rupellensem, Cenomanensem, Belvacensem, sancti Iohannis et Fontiniacensem. Et volumus et ordinamus, quod predicti provinciales et conventuales absoluti ad eadem officia in eisdem provinciis et conventibus isto anno nullatenus resumantur.

**Ista sunt suffragia pro vivis.**

Summa missarum pro vivis · xliii · Summa missarum pro defunctis · x ·

**Iste sunt assignaciones.**

Assignamus lectorem in conventu Bononiensi magistrum Nicholaum de Lee de provincia Anglie<sup>1</sup>.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius isto anno fratrem Franciscum de Belluno de provincia Lombardie inferioris<sup>2</sup>. Item. Quantum nostra interest, assignamus ad legendum sentencias ibidem anno sequenti fratrem Guillelmum Munerii de provincia Francie<sup>3</sup>.

Committimus reverendo patri magistro ordinis ordinationem studii Parisiensis et omnium studiorum generalium, ut ipse de magistris et bacchaliis et biblie cursoribus ordinet et disponat, prout utilitati ordinis viderit expedire.

Ponimus vicarium generalem in provincia Aragonie, donec provincialis sit electus et confirmatus et presens sit in eadem, fratrem Iohannem Fortis, magistrum in theologia<sup>4</sup>.

Instituimus et facimus priorem provinciam in provincia Terre sancte fratrem Franciscum Henrici Florentinum de provincia Romana, iniungentes eidem in remissionem peccatorum, quod quamcivis poterit, illuc vadat et secum portet ad dictam provinciam litteram magistri ordinis et acta capituli generalis una cum transcripto bulle domini pape et articulis contentis in processibus factis contra Ludovicum de Bavaria, sicut fuerunt publicati in capitulo generali<sup>5</sup>. Letania et salve regina more solito dicantur. Denunciamus fratribus universis, quod tenentur omnes ad suffragia pro fratre Bertrando de Cadarossa, diffinitore provincie Provincie, qui defunctus est in capitulo generali.

**Sentencias iudicum approbamus.**

Sequens capitulum generale assignamus in conventu Podiensi provincie Provincie, et ordinamus, quod diffinitores, qui anno futuro diffinient, illuc dominica infra octavas ascensionis veniant.

Nullus autem alius frater, eciamsi licenciam habeat ad capitulum veniendi, locum intret capituli ante · viam · feriam vigiliam pentecostes immediate precedentem.

Quicumque autem frater ad sequens generale capitulum sine magistri ordinis licencia venerit vel de suo conventu cum intencione veniendi exierit, ipso facto sit omni voce privatus, ad quam vocem non possit restitui nisi per magistrum ordinis vel capitulum generale.

Expliciunt acta capituli generalis.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. LXXXVIII.

<sup>1</sup> De fr. Nicolao de Lee cf. supra pag. 283 l. 6.

<sup>2</sup> De fr. Francisco de Beluno cf. supra pag. 282 l. 33.

<sup>3</sup> De fr. Guilelmo Munerii cf. DENIFLE l.c.p. 538, 550.

<sup>4</sup> De fr. Ioanne Fortis cf. supra pag. 150 l. 11.

<sup>5</sup> Cf. supra pag. 201 l. 10 sqq.